

AT QVE vt in hac lubrici hominis castigatione nullus sit tergiuersationi, & effugio locus, ita rem totam institutam, vt primum Scaligeri verba, adnotatis, vnde sumpta sunt, locis, tum meum, de sententia Scaligeri verbis subiecta iudicium adiungam. Quod non sine legentium fructu in importuno eiusdem Elencho castigando fecisse me multi norunt. Initium ergo à nuncupatoria epistola faciamus.

SCALIGER.

In epistola dedicatoria ad ordines Hollandiæ, &c.

*QVOD quidem non ad meam solum, sed ad maiorum quoque meorum amplitudinem, atque gloriam pertinere arbitror, vt vetustissima & illustrissima nostra gentis pene vltimus non carerem tantorum virorum testimoniis, quibus ipsi ob benefacta sua, & res præclare gestas, nunquam caruerunt.*

CLAVIVS.

QVAM multa de te iactas Iosephe Scaliger hac epistola, quam verò gloriosè, quam tumide, & quò te, vt arbitror, non malum panegyristen probares, incepisti à cunabulis: Sed non erat, mihi crede, ista opus diligentia. Scitum enim est, eiusdem esse facultatis, & hominis, de se panegyryn, in alios Philippicas, aut si quid est amarulentius, euomere. Ergo stomachum homini non inerudito Gaspari Scioppio mouisti, qui origines tuæ istius illustrissimæ & vetustissimæ gentis, quo referat nosti, quam vere, nescio